



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

121. Christus factum istud à calumniis Iudæorum defendit.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

IESUS: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et statim sanus factus est ille: & sustulit grabatum suum, & ambulabat. Erat autem sabbatum in die illo. *Ioan. 5. Vers. 7. 8. 9.*

III. Dicebant ergo Iudæi illi, qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. Respondit eis: Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula. Interrogaverunt ergo eum: Quis est ille homo, qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum, & ambula? Is autem, qui sanus fuerat effectus, nesciebat, quis esset. Iesus enim declinavit à turba constituta in loco. *Ioan. 5. 6. 10. 11. 12. 13.*

IV. Postea invenit eum IESUS in templo, & dixit illi: Ecce sanus factus es; jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Abijt ille homo, & nunciavit Iudæis, quia Iesus esset, qui fecit eum sanum. *Ioan. 5. 14. 15.*

MEDITATIO CXXI.

*Christus factum istud à calumnijs Iudæorum defendit.*

**P**ROPTEREA persequerentur Iudæi IESUM, quia hæc faciebat in sabbato. Iesus autem

tem respondit eis: Pater meus usque modo operatur, & ego operor. Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere: quia non solum solvebat sabbatum, sed & patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. *Ioan. 5. v. 16. 17. 18.*

II. Respondit itaque Iesus, & dixit eis: Amen, amen dico vobis, non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quæcumque, enim ille fecerit, hæc & filius similiter facit. *Ioan. 5. Vers. 19.*

III. Pater enim diligit filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit: & majora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini. Sicut enim Pater suscitatur mortuos, & vivificat: Sic & Filius, quos vult, vivificat. Neque enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio, ut omnes honorificent filium, sicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum. *Ioan. 5. v. 20. 21. 22. 23.*

IV. Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in iudicium non venit, sed transiet à morte ad vitam. *Ioan. 5. v. 24.*